

EX SERMONIBUS SANCTI LEONIS MAGNI PAPÆ

Sermo 10 de Quadragesima, 3-5: PL 54, 299-301

In Ioánnis evangélio Dóminus dicit: In hoc cognóscet omnes quia mei discípuli estis, si dilectiónem habuéritis ad ívicem; et in eiúsdem Apóstoli Epístola légitur: Caríssimi, diligámus ívicem, quóniam cáritas ex Deo est et omnis qui díligit ex Deo natus est et cognóscit Deum: et qui non díligit, non novit Deum, quóniam Deus cáritas est.

Discútiant ergo se fidélium mentes et íntimos sui cordis afféctus vera examinatióne diúdicent; ac si repósitum áliquid in consciétiis suis de frúctibus caritátis invénerint, Deum sibi inesse non dúbitent, et ut magis magisque tanti hóspitis sint capáces, fiant perseverántis misericórdiæ opéribus amplióres.

Si enim diléctio Deus est, nullum habére debet términum cáritas, quia nullo potest claudi fine Divínitas.

Ad exercéndum ígitur, dilectíssimi, caritátis bonum, quamvis tempus omne sit cóngruum, præséntes tamen dies speciálius cohortántur: ut, qui Pascha Dómini cúpiunt cum ánimi et córporis sanctificatióne suscípere, hanc máxime grátiam conéntur acquirere, qua et ómnium continétur summa virtútum et multitúdo tégitur peccatórum.

Et ídeo celebratúri illud éminens super ómnia sacraméntum, quo iniquitátes nostras Iesu Christi sanguis abolévit, misericórdiæ prímítus hóstias præparémus; ut, quod nobis bónitas Dei cóntulit, nos quoque eis qui in nos peccavére præstémus.

In páuperes quoque et diversis debilitátibus impeditos benígior nunc largitas exserátur, ut grátia Deo multórum voce referántur, et ieiúniis nostris egéntium reféctio suffragétur. Nulla enim devotióne fidélium magis Dóminus delectátur, quam ista quæ paupéribus eius impénditur, et ubi curam misericórdiæ ínvenit, ibi imáginem suæ pietátis agnóscit.

Non timeátur in iis expénsis deféctio facultátum, quóniam ipsa benígnitas magna substántia est, nec potest largitátis deesse matéries, ubi Christus pascit et páscitur. In omni hoc ópere illa intérvenit manus, quæ panem frangéndo auget et erogándo multiplicat.

Secúrus et hílaris sit eleemósynæ distribútor, quia tunc máximum lucrum habébit, quando sibi mínimum reserváverit, dicénte beáto apóstolo Paulo: Qui autem adminístrat semen seminánti et panem ad manducándum præstábit et multiplicábit semen vestrum et augébit incrementa frugum iustítiæ vestræ, in Christo Iesu Dómino nostro, qui vivit et regnat cum Patre et Spíritu Sancto in sácula sæculórum. Amen.